



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Jutta Vidua. 5. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

igitur es, quidquid potes, debes creati, redimenti, recanti. S. Bern. super illud, Regnum Dei, &c.

S. JUTTA VIDUA. 5. Maii.

QUI JUTTAM legis, legentem lege. Nam & illa à teneris vitas legere Divorum gaudebat; sed & quod pauci facimus, facere gaudebat, quæ legerat. Nubilem jam & fugam è mundo meditantem, nuptiæ illustres implicarunt, neque tamen manus virtuti ligarunt. Mundum omnem muliebrem, quem à parentibus & ipsis illustribus nobilissimum acceperat, ad vestienda ornandaque mendicabula omnè contulit, rectè non pulcherrimum micare gemmas & uniones rata, quàm in pauperis Christi centonibus. Jamque eò devenerat, ut decoctâ ingenti dote, necessaria ad vitam mendicare ipsa non sine risu improborum cogeretur. Sed laudavit Christus hanc prodigaliter conspicuus, & iterum ditavit illis verbis: *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Enimverò tam opulentam se ubi circumspexit JUTTA, effusior etiam dehinc vixit. Neque tamen redigi ad incitas potuit liberalis dextera. Iterum Christus illi visus potestatem fecit ex divite cordis sui ærario quas luberet opes depromendi. Illa Sapientiæ sanctioris thesauros deprompsit, ut jam sine alio Doctore arcana fidelicalleret, & in ipsa adyta sanctissimæ Triadis mulier se penetraret. Nimirum neque jam supremam ægram à Christo ad notas delicias invitata miror, neque dubito animum membris solum recta in caelos abiisse, cum versus hos in aërem abiisse inter preces, etiam cum corporis pondere legam. Ex

Bzov. tom. 13, Ann. Eccl.

Suscipiat fidelis anima Auctoris sui atque Rectori

immar

inmarcessibilem charitatem, totamque se ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus atque judiciis nihil vacat à veritate Iustitia, nihil à miseratione Clementia. S. Leo serm. de Jejun.

S. JOANNES DAMASCENUS. 6. Maii.

ETiam hic JOANNES, cui à patriâ DAMASCENO nomen fecit, inter VIRGINIS cultores in paucis est numerandus. Cum enim Saracenorum Duci à consiliis esset, calamus interim in Leonem sacrarum imaginum hostem strinxit, pulchrum existimans, pro MATRIS capite manum suam objicere. Nam cum literas commentus impius esset Imperator velut ab ipso JOANNE scriptas, quibus Damascum prodere cogitaret, easque Saraceno transmisisset, dextram hic scilicet detruncavit innocenti. Sed precanti & ante icona DEIPARÆ familiarius querenti, quòd ad pugnandū pro ipsius & Filii honore inermis jam esset, ecce tibi auxiliatricem manum VIRGO porrigens, dextram integerrimam restituit, relictâ solum in miraculi vestigium lineâ rubente, quam rectius armillam nos dicemus. Hinc JOANNES sapientiæ sanctioris rudimenta inter Anachoretas discere aggressus, magnos brevi progressus fecit. Fiscellas enim in patriâ jussus vendere, risui scilicet fuit, qui nuper omnium admirationi erat. Jam sordes omnes in cœnobio illâ, illâ non tam suâ quàm VIRGINIS manu jussus purgare, non dubitavit imperio obsequi. Quare manum tam nobili victoriâ splendidam calamo denuò ipsa cæli Imperatrix MARIA armavit, scripsitque illa quæ hodieque orbis omnis miratur. Sed nimirum quæ reddidit, etiam rexit dexteram. *Ex Io. Patri. Hier.*

Nostram